

Dissertatio medica de necessaria salivae inspectione ad conservandam et restaurandam sanitatem.

Contributors

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Baier, Johann Jakob, 1677-1735.

Publication/Creation

Halae : Typis Christoph. Andreae Zeitleri, [1698]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kk7yuxy2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L. D. B. V. 42
DISSERTATIO MEDICA

DE

NECESSARIA
SALIVÆ INSPECTI-
ONE AD CONSERVAN-
DAM ET RESTAURAN-
DAM SANITATEM,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

ELECTORAT. BRANDENB. HÆREDE, &c. &c.

Sub P R Æ S I D I O

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,

Med. ac Philos. Natur. P. P. Sereniss. ac Potentiss.

Electoris Brandenb. Medici Aulici, h. t. Decani,

*Dn. Patroni ac Præceptoris sui pia observantia
prosequendi,*

Publico Eruditorum examini submittet

AUTOR

JOHANNES JACOBUS BAIERUS,

JENENSIS.

d. Septembr. M DC XCVIII. horis antemeridianis.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.

PERILLUSTRI AC EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DN. SAMUELI
STRYKIO,

POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI
CONSILIARIO INTIMO,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA PROFESSORI PRI-
MARIO ET FACULTATIS JURIDICÆ
PRÆSIDI ORDINARIO,

M E C Æ N A T I
suo gratiosissimo,

hoc qualecunque studiorum suorum specimen
ceu exiguum debitæ venerationis signum
consecrat

A. & R.

JOANNES JACOBUS BAIERUS,
JENENSIS.



I. N. J.
§. I.

Maximam Artis partem esse, uniuscujusq; mor-
bicognitionem exacte addiscere jam dudum
prodidit divus *Hippocrates lib. de diebus judicato-*
riis: Quandoquidem princeps Medicinæ sco-
pus est, cujuscunque morbi ortum, causas &
genium exquisite scrutari, & inde removendis hisce ido-
neum invenire & prudenter applicare remedium. Quo-
circa optime dixit laudatus *Hippocrates lib. de Arte, Medicus*
qui. sufficit ad cognoscendum ad sanandum etiam sufficit: & lib.
de flatibus. Qui causas corporis affecti probe cognoscit, valde po-
tens est asserre ea quæ corpori profunt. Qua de causa etiam
ab omni ævo Medicorum peritissimi in id sedulam col-
locarunt operam, ut non tantum ex structura partium
solidarum seu habitu corporis, & sanguinis humorumq;
temperie, dispositione Parentum, ætate, sexu, vitæ gene-
re, atq; aeris constitutione, sed potissimum e natura ex-
cretorum ægritudinis statum ac mores, in quovis indi-
viduo, magna cum attentione scrutarentur atque inve-
stigarent. Quantum excretiones diversorum hu-
morum in corpore nostro solennes, vitæ & sanitati tuen-
dæ conducant, si legitime ratione quantitatis & qualitatis
procedant, neminem qui saltim primis labris medicinam
degustavit fugere potest. Impossibile enim est, ut nativa

sanguinis mixtio & *νεάσις* salva & a corruptione immu-
 nis persistere possit, nisi variæ res huic mixturæ incon-
 gruæ & infensæ continuo diversa sub forma per innume-
 ra colatoria sequestrentur & ejiciantur. Ex quo facile
 intelligi potest, ipsas has excretiones & quidem præci-
 pue sudoris, urinæ, sputi, mucii, alvi excrementorum,
 sanguinis menstrui in fœminis, vel hæmorrhoidalis in
 quibusdam viris si non legitime procedant, plurimum
 noxæ vel derrimenti afferret corpori: Unde etiam apud
 Practicos horum consideratio atque æstimatio in mor-
 bis cognoscendis & sanandis maximi est momenti. Illud
 unicum saltem tam in veterum quam recentiorum fere
 omnium monumentis desideramus, quod nulla prope in
 ipsis reperiat mentione excretionis salivalis quatenus ad
 morborum indolem pernoscendam facit; cum tamen con-
 stanti experientia & suffragante ratione convincamur,
 maximam curam etiam hujus excretionis in Praxi Medi-
 ca habendam esse. Decrevimus itaque hancce materiam
 in præsentiarum breviter strictimque saltem exigui spe-
 ciminis loco agitare atque pertractare; cui proposito ut
 Divinum Numen clementissime benedicat ex animo pre-
 camur.

§. II.

Salivam fluorem esse limpidum insipidum valde activum
 ex glandulis numerosissimis in ore secretum, apud medi-
 cos notissima res est: differt autem a sputo saliva in eo
 quod hæc limpida & fluida sponte & citra singularem
 commotionem in ore secernatur, sputum vero crassius
 & mucosius sit & ex arteriæ asperæ glandulosa parte, vel
 ex ipso ductu narium glanduloso secreta vel tusi elici-
 atur & prodeat. Fluorem activum salivam diximus,
 quoniam ex duplici elemento, uno tenuissimo æthe-
 reo, salino - sulphureo, & altero, crassiori humido at-
 que

que aquoso (quod prioris vehiculum existit) componitur. Præsentiam subtilissimi ac mobilissimi principii salivæ inexistentis varia experimenta comprobant. Primo enim salivalis latex non facile etiam intensissimo frigore abit in glaciem, more aliorum liquorum spirituosorum qui abundant tenuissimis partibus in motu vehementi intestino nullam firmiorem quietē admittente, constitutis. Præterea quando vasculum saliva repletum, vitro cui aer mediante antlia pneumatica subtractus fuit, imponitur, protinus conspicitur insignis agitatio atque ebullitio nec non spumascentia ipsius salivæ, sicuti contingit in aliis liquoribus spirituofo elemento imbutis: Etenim de mto ambiente atmosphærici aeris pondere, tenues & elasticæ salivæ particulæ libertatem sese expandendi & egressum moliendi acquirunt, unde postmodum dependet dicta ebullitio. Diximus subtilissimum istud principium esse salino-sulphureum, utpote spiritus ex saliva putrefacta certa encheirisi destillari potest, qui metalla adurit, ipsum aurum nigredine afficit, & a secretioris chimie amatoribus pro menstruo universali venditur. Quantum vim atque efficaciam jejuni hominis saliva in dissolvendis glandulis scirrhis, hæmorrhoidum tumoribus abigendis, scabie aliisque cutis affectibus dissipandis possideat, Practicis compertissimum est. Ad quam vero indolem sal salivæ pertineat controversum adhuc est: Alii acidum esse credunt, quoniam saliva jejuni mercurio currenti (si cum ipsa misceatur) compedes injicere solet: Alii alcali illud pronunciant, quoniam infusionem florum rubicundorum alio colore inficit, & solutionem vitrioli præcipitatione quadam turbat. Nos sal sui generis & neutrum, propter tenuitatem & paucitatem (duæ enim salivæ uncie unicum circiter granum salis acris

post evaporationem relinquunt) organo gustus non respondens, adeoque illo ipso non dignoscibile illud statuimus & judicamus. Sulphuris in saliva portio ex foetore qui ejus putredinem sequitur, nec non e splendentibus varie coloratis squamulis quæ putrefactæ salivæ supernatant, elucescit. Insuper principii activi salino-sulphurei in saliva existentiam sufficientissime probare videtur ejus præpotens vis in excitanda fermentatione corporum ad illam dispositorum: Fermentatio siquidem est motus intestinus dissolvens totam mixti compagem, & excitatur a materia salino-sulphurea, quæ fermenti nomine venit, in motu vividissimo constituta; omne enim (vi axiomatis mechanici) quod alterum quiescens movere debet in motu prius constitutum sit necesse est.

§. III.

Restat jam ut dispiciamus unde originem suam petat salivalis humor. Ex glandulis quibus universa oris & faucium substantia scatet, ipsum prodire nemo dubitabit amplius. Sunt autem glandulæ nihil aliud quam canaliculi tenerrimi invicem contorti & membranaceis fibris firmati, qui ex arterioliis immediate prodeunt & ratione ductuum suorum talem saltem succum qui eorum diametro respondet, recipiunt; nerveum autem ceu tenuissimum facillime admittunt, crassiori sanguinis ac seris portione relicta. Hunc liquorem ita secretum dictæ glandulæ postea per singulares lymphaticos ductus derivant & effundunt in oris cavitatem. Nolumus hic figillatim commemorare glandulas illas nomine, figura & magnitudine diversas, quoniam ab Anatomicis pluribus abunde hoc jam factum est: Illud saltem curiositatis ergo non possumus præterire silentio, quod glandulæ & ductus salivales a *Nuckio* descripti nulla industria in humano

mano cadavere reperiri possint: vicem autem horum videntur sustinere sex glandulæ, pisi majoris magnitudine, recta linea notabili intervallo ab invicem disjunctæ, supra musculum buccinatorem & infra masseterem collocatæ, quarum quævis peculiari ductu, qui setam equinam admittit, in ipsum os hiat; primum autem horum ductuum orificium statim post orificium ductus Stenoniani recta linea positum est. Novæ hæ glandulæ repetitis vicibus ab *Excell. Dn. Præside* publicis in Anatomis demonstratæ fuerunt. Quod ad materiam ex qua saliva producitur, in eo facile omnes consentiunt illam esse non tantum humidam sed & subtilissimam Salino-sulphuream sanguinis arteriosi partem & una ipsum liquorem nerveum tenuissimum: Notabile enim est irregularem spirituum animalium motum, qui in vehementibus animi affectibus & furore conspicitur, promptissime cum saliva communicare quæ exinde perniciosam imo virulentam suiq; multiplicativam mutuatur activitatem, sicuti ex animalium furore & ira æstuantium moribus corporis machinam instar veneni destruentibus id luculentissime apparet.

§. IV.

Quemadmodum autem verissimum est nihil in corpore nostro sine singulari providentia, consilio, sine ac ratione sapientissimi rerum Conditoris factum esse, quippe qui adeo prudenter machinam nostri corporis fabricavit, ut omnia conspirent ad ejus conservationem; ita merito quæstio emergit cuinam usui ac fini tanta salivæ copia secernatur & ipsis cibis inter masticandum, rursus commisceatur? Quantum itaque dijudicare possumus, contingit illa salivæ a sanguine separatio primum, ut nimio sero & superfluis salino-sulphureis, activis partibus

tibus M. S. privetur & ita a corruptione præservetur. Compertum enim est Mechanica chimica, quam promptum & proclive sit ad putredinem concipiendam excessivum humidum, & quantam potentiam habeant exilissimæ salino-sulphuræ partes introducendi motiones intestinas, peregrinas & ad destructionem vergentes, in corpora disposita. Alter finis secretionis salivæ in ore est, non ut tanquam inutile quippiam (sicuti accidit in sudore urina & alvi excrementis) foras ejiciatur, sed ut adhuc usum præstet in alimentis dissolvendis nobilissimū. Nostra enim sententia est salivam genuinum alimentorum constituere menstruum ipso in ventriculo. Equidem non negamus per tunicam ventriculi glanduloso-villosam separari humiditatem quandam mucosam, quæ tamen pauca est tantæque ciborum moli subigendæ insufficientis; requiritur enim hic menstruum rei solvendæ ratione quantitatis proportionatum: Jam quoniam saliva largissime sub masticationis actu effunditur & intime cum cibus permiscetur, præterea etiam indolis activæ, fermentantis ac solventis est, non video quare pro genuino alimentorum menstruo venditari nequeat? Opus nimirum erat, ut tot tamq; diversi generis alimenta, dura, solida, viscosa, item medicamenta quæ non tantum ex vegetabili & animali sed etiam minerali regno petuntur, dissolverentur, extraherentur & in fluidam substantiam redigerentur; cui fini provida natura destinavit hunc succum valde activum, salivam: Hæc enim non tantum superficialiter in partes integrantes, (sicut alia menstrua chimica faciunt) sed in minimas, mixtum constituentes particulas deglutita resolvit & novam unionem mixtionemque partium efficit; ut adeo quasi menstruum sit universale microcosmicum, intime solvens diversæ naturæ a-

ræ alimenta, illorumq; repagula referans, partim subtilitate, partim congrua & conveniente partium quib9 constat, figura. Sicuti autem ventriculus non solus est chyli officina sed ipsa quoque intestina, sic etiam succus qui ex pancreate in intestina profluit & ejusdem cum saliva naturæ est, ibi vices menstrui ulterius subit.

§. V.

Ex quibus facile colligitur ad digestionis & chylificationis negotium, vitæ conservandæ summe necessarium, perficiendum requiri salivam tam in sufficienti quantitate quam in bona temperie seu qualitate constitutam; a quibus si saliva deflectit, aliter fieri non potest quin multum damni redundet in ipsum chylum, qui sanguinis elementum est, atque ita ad morbos seu statum corporis p. n. via pandatur apertissima. Et hæc jam est ratio ac fundamentum, cur maximopere svadeamus & commendemus Praxin Medicam exercentibus sedulam & attentam salivæ considerationem. Quod si enim ex urina, quæ immediate ex sanguine & sero provenit, promte licet conjicere de mixtione, temperie, motu & statu sanguinis & seri, prout urina vel quantitate vel consistentia vel colore differt: Quidni etiam ex saliva, quatenus illa quantitate, consistentia, odore, colore &c. differt dijudicare possimus statum atque conditionem sanguinis, lymphæ & spirituum animalium, & ulterius quoque de ventriculi digestionem ejusque vitiis atq; incommodis præsentibus & futuris præsagium & judicium ferre?

§. VI.

Testem habemus experientiam, primam & præcipuam omnis veritatis in Physica & Medicina parentem, quantum consideratio salivæ tum ratione quantitatis, tum qualitatis faciat ad cognitionem accuratam causa-

rum morbificarum & pernoscendam mixtionem & motionem humorum vitalem. Clarum id facere allubescit per exempla. Nihil frequentius occurrit in Praxi, quam quod hypochondriaci, melancholici & phthifici quotidie salivam exspuant largissimam, ita ut indefinente sputatione illa loca ubi subsistunt sordidissime commaculent, & si materiam per os excretam curiositatis ergo colligere velimus, intra unius horæ spatium (præsertim si jejuni fuerint ægroti) unciam unam & ultra habere possimus. Quæ nimia excretio nobis significat sanguinem humido suo defraudari & sic remanere in vasis suis crassum, fluiditate ac tenuitate debita destitutum: Etenim sanguinis fluxilitatem ab intima partium aquosarum cum reliquis unione & commixtione dependere certissimum est. Ex crassitie autem sanguinis non possunt non ejus stases, viscerum infarctus, colatoriorum obstructions, secretionum & excretionum naturalium imminutiones (quæ singula multorum & gravissimorum malorum causa & origo sunt) proficisci.

§. VII.

Observamus etiam in morborum acutorum, præsertim febrium & variolarum, statu largissimam salivæ magis aut minus tenuis aut spissæ excretionem, & quidem ut plurimum bono faustoque omine: Tali enim in casu serum superabundas vitiosum, mixturæ sanguineæ putredinosam corruptionem minitans, singulari mechanismo (qui ex provida Divini Numinis coordinatione, machinam humanam pro differentia causarum ad motus certos disponente, dependet) per colatoria seri solennia, glandulas nimirum & ductus salivales excernitur atque proscribitur, optimo cum ægrotantium levamine. Unde accuratiores Practici largiorem salivæ fluxum in febribus ardentibus & variolis sponte subortum, ceu criticum,

ticum, & plerumq; saluberrimum djudicant. Ita febris ardens salivatione spontanea critice terminata describitur a B. *Rolfincio Ord. & Method. special. Lib. III. Sect. I. cap. 41.* Et *Waldschmidius Institut. Med. lib. III. cap. 7.* testatur sputationem frequentem in variolis & morbo Hungarico nunquam a se visam fuisse malam.

§. VIII.

Simili ratione in morbis chronicis creber & frequens salivæ fluxus sæpenumero faustum suggerit indicium. Notissima res est luis venereæ materiam, lympham, nempe viscidam sale acido caustico instructam, non felicius ac tutius e corpore propelli quam per salivales glandulas: Quapropter excitata salivatio per medicamenta mercurialia tutissimum fere ac certissimum pessimi hujus affectus remedium est: Neutiquam vero putandum est, mercurium peculiari ratione in fauces operando & salivam movendo expugnare hoc malum, sed ipsa morbi causa per congruum hoc excretorium amandari inclinatur, quod tamen negotium activitate mercurii (qui particulis suis penetrantissimis metallicis fibras motrices vasorum excretoriorum ad motum armat & stimulat) haud parum promovetur. Perspicua hinc fit ratio, quare exigua Mercurii quantitas, in scorbuto vel lue venerea correptis potenter salivam expellere possit, quale quid non contingit in illis, qui bona corporis sanitate & humoribus benignis ac temperatis fruuntur. Pariter febres quartanæ (prout Excellentiss. Dn. Præses sæpius observavit) spontanea salivatione, quam tumor & inflammatio faucium comitantur, terminari solent; non aliam fortè ob rationem, quam quod serum acido-viscosum, primaria quartanæ causa, non per convenientius evacuatorium quam salivales glandulas queat

proscribi. Unde etiam est, quod pauca mercurii dulcis portio, hoc in affectu intensissimam salivationem provocare valeat; qua de re consuli meretur *Willis. de ferment. cap. 6. & Ballon. Ephemerid. lib. I.* Tacemus alios morbos sponte orta salivatione felicissime fuisse expugnatos: sic v. g. vertiginem contumacem hac ratione sublata, commemorant *Nic. de Blegny Zodiac. Med. Gall. Ann. I. mens. Octobr. obs 7. & Herm. Grube in arcanis Medicis non arcanis.* Elegans quoque est observatio *Job. Pauli Wurffbainu in M. A. N. C. Decur. II. Ann. I. observ. 122.* Mulierem scilicet febre catarrhali, phrisin minitante, correptam, circa diem septimum spontanea suborta salivatione restitutam fuisse. In iisdem *M. N. C. Decur II Ann. III. obs. 153. Job. Burgius, Virum,* (scribit) *magni nominis, literatum, novi cui tinnitus aurium, quo sepius infestatur non prius d'scutitur quam salivatione sponte excitata, cumq; alias ob causas acidulis Egranis uteretur Idem, non per urinarias modo vias & intestinorum canales, sed etiam per vasorum salivalium copiosam emunctionem suam testabantur efficaciam.*

§ IX.

Cæterum in Praxi Medica nihil familiarius quam quod vernali potissimum vel autumnali tempore, ingentem hominum multitudinem corripit videamus copiosa excretionem salivalis limpidi liquoris, juncta cum inflammatorio faucium tumore. Profecto has evacuationes criticas & salutares esse paucissimi norunt vel attendunt Practici; his enim peractis optime sese habent ac valent ægroti, appetitum & vigorem pristinum recuperant & ita immunes a quamplurimis morbis degunt. Non igitur sistendæ sunt tam salutares evacuationes, sed potius naturæ (ut ita loquar) intentio, quantum possibile, juvanda, quo serum vitiosum & abundans, mixturæ sanguinis contrari-

trarium, per vias adeo commodas e corpore propellatur. Quocirca perperam faciunt illi Medici & Chirurghi, qui talem salivæ fluxum statim compefcere & fupprimere nituntur per gargarifmata constringentia, acida, vel colutiones frigidas. Pejus adhuc faciunt, qui eundem in finem opiata & constringentia interna propinant; facta enim feri metaftafi ad alias nobiliores partes, graviffimæ cephalalgia, odontalgia otalgia, pectoris anguftia, paralyfes fpuria, vertigines, fingultus &c. sæpe fubfecuti funt, non fine præfenti vitæ discrimine: Potius gargarifmatibus demulcentibus ac difcutientibus, & interne per decocta calida herbarum & radicum convenientium via funt magis aperiendæ, & ferum fluxile reddendum, nifi extraordinaria plane & nimia falivæ fecesio infignem virium afferat prostrationem, qualis obfervata fuit & recenfetur a *Job. Ludw. Hannemann* in *M. A. N. C. Decur. II. Ann. IV. Obferv. 108.*

§. IX.

Datur adhuc alius falivæ excessivus & abundantior fluxus, qui tamen merito dicendus eft fymptomaticus, periculi haud expers & comitatur sæpenumero gravem & anginofam faucium inflammationem, quæ vel per fe, vel ut fymptoma febrium acutarum & malignarum folet invadere. Apparet nimirum in dictis cafibus oris & faucium regio muco quodam denfo copiofo & acri obfita, qui utut centies gargarifmatibus congruis abftergatur, fubinde tamen de novo propululatur, mortem fubfecuturam interdum prænuncians. Idem obfervatur in graviffima œfophagi, ventriculi aut diaphragmatis inflammatione, dum os copiofa lymphatica humiditate continuo eft repletum, conquerentibus fimul ipsis ægrotis de infigni ardore circa ventriculi regionem. Derivandus

autem merito est largior hic salivæ profluxus ex circulo sanguinis per venas impedito aut valde imminuto, unde sanguis per arterias advectus non potest non abundantissime in glandulis, præsertim salivalibus humiditatem serosam deponere. Cujus asserti veritatem quam optime confirmat experimentum *Cl. Nuckii*, qui venis jugularibus, subducto filo in cane arcte ligatis, salivam tam copiose profluere animadvertit, ac si mercurio assumpto iste fluxus concitatus fuerit. Vid. *Ejus Sialograph. Cap. II. p. 26. & 27.* Exinde etiam elucescit ratio, cur (notante *Hippocrate Epidem. Lib. I. Sect. II.*) involuntariæ lacrymæ in febribus malignis admodum sint periculosæ? Nec aliud iudicium de Urinæ largiori fluxu in febribus acutis, malignis, & inflammationibus gravioribus ferendum est, utpote qui semper fere funestus esse solet.

§. X.

Quemadmodum vero quantitas salivæ p. n. aucta de sanitate vitiata & morborum eventu diversimode testatur, ita quoque defectus ejusdem non pauca Medico proficua signa suppeditat. Etenim in febribus acutis, lentis, calore p. n. hectico saliva parcissime secernitur, & non nisi paucus spissus humor linguam & oris interiora oblinat. Testatur hoc ipsum phænomenon de ardoris & caloris interni, humidum radicale dissipantis, gradu; ut adeo lingvæ inspectionem ad dignoscendum seri statum non immerito in pluribus morbis commendat *Hippocrates Lib. VI. de Morb. vulgar. Sect. V.* dum inquit, *Lingua humorum præstantiam colore refert, ideoque per hanc ad humorum dignotionem pervenimus.* Cui hodiernum consentire videntur *Sinensium Medici*, utpote qui magna cum solertia multorum corporis affectuum naturam non solum e pulsu, sed etiam lingvæ diversâ constitutione satagunt addis-

addiscere, quemadmodum ex *Andr. Cleyeri Specim: Medicine Sinica* id ipsum abunde constat. Quod si itaque lingua in morbis supra nominatis exsucca vel muco viscido obsita est, serum sanguinis calore nimio inspissatum proditur, unde sitis inexhausta & saporis abolitio proveniunt. Talis insuper lingvæ & oris status, præsertim in febribus lentis & quibusdam morbis chronicis luculentum perhibet testimonium de vitiosa chylicatione: saliva enim adeo pauca & crassa neutiquam par esse potest alimentorum resolutioni & extractioni, unde chylus crudior & viscidus necessario progignitur. Medentis vero intentio primaria hoc loco esse debet ut blandis humectantibus ac diluentibus seri fluorem restituat, nec non intestinam & p. n. vehementem sanguinis commotionem temperet atque componat.

§. XI.

In hydrope, diarrhœa, cholera &c. notabilior salivæ defectus indicat serum plus justo a sanguine secedere, dum vel in partium quarundam porosa substantia largius decumbit, vel per excretoria liberalius proscribitur: Hinc quantum de sero aliorum derivatur, tantum decedit materiæ ad salivæ generationem necessariæ, quo ipso digestionis & chylicationis negotium haud parum impeditur. Ceterum in ejusmodi casibus sollicitum esse decet Medicum ut æqualem & liberam sanguini & humoribus reliquis circulationem conciliet, tum vasa obstructa aperiendo, tum nimis relaxata roborando, quo sic æquilibrium ad excretoria restituatur & unumquoque suum præstet officium.

§. XII.

Perspecta sic irregulari salivæ quantitate accedimus jam ad perlustrandum ejus vitiosam qualitatem. Cum autem

autem hæc non uno modo sese prodat, opus erit ut potiora illius genera figillatim consideremus. Quod si itaque iusto tenuior, aquosior & limpidior saliva prodit, in infantibus quidem (præsertim si major ejus copia adsit) lumbricos in ventriculo & intestinis latitantes indicat, qui tunicam illorum & œsophagi glandulosam irritando, largiorem salivæ tenuioris affluxum invitant: in adultioribus vero & serosiores sanguinis constitutionem ac dispositionem ad cachexiam affectionem hypochondr. arguit. Dum enim aquosum M. Sneæ elementum prædominatur & particule sulphuræ supprimuntur, motus humorum tardior, calor debilior, & spirituum defectus subsequuntur, unde postmodum ad cachexiam corpus facile disponitur, præcipue quoniam saliva eiusmodi aquosior, elemento activo salino-sulphureo orbata, digestionis negotio neutiquam rite præesse, nec chylum satis laudabilem ac spirituosum elaborare potest: Qualis autem chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis corporis habitus & sanitas. Cæterum Medici hic officium esse debet ut remediis balsamicis, amaris, blando sale volatili oleoso foetis chyli & humorum spirituascentiam promoveat, & balsamum sanguini restituat. Vermium vero putredinosa coluvies per specifica anthelmintica & putredini resistentia expugnari debet.

§. XIII.

Consideranda nunc quoque venit salivæ p. n. viscido seu crassites, quæ matutino potissimum tempore post somnum observatur: Tunc enim sæpius lingua & fauces lento viscidoq; limo oblitæ conspiciuntur, & ipsa saliva dejecta in vasculum quoddam vitreum brevi temporis spatio deponit crassum, albicans, copiosum sedimentum, supernatante humore limpidiore aqueo. Talismodi saliva in ægrotis

grotis plerumque significat serum spissius particulis tenuioribus fluidis destitutum, sicuti apparet in illis qui febre lenta aut hectica laborant. Longe tamen major salivæ viscositas notatur in febre acuta correptis, propter majorem seri fluidi defectum, qui ut plurimum cum hoc morbo conjungitur. Ast præter hæc non raro etiam in sanis, tempore matutino, extraordinaria ejusmodi salivæ viscositas est conspicua; hæc autem, nostro quidem iudicio, vel à defectu potus, vel cibus crudiori & viscido succo abundantibus, copiose ingestis, proficiscitur; qualem salivæ mutationem aliasque ejus differentias a victus diverso genere & vario corporis statu pendentibus haut ignorasse videtur Galenus, dum *Lib. X. de simpl. Medicam. Facult. cap. 7. de saliva* scribit, *salivæ vis differens est tum in animalium speciebus, tum in hominum unoquoque sano & egroto, jejuno aut sitibundo, aut potu ciboque sumto. Etenim ut urina & bilis, sic etiam saliva sumto quidem cibo imbecilla est: Valida & acris eorum, qui ingenti aut inedia aut siti premuntur.*

§.XIV.

Attendi etiam meretur salivæ p. n. spumescencia satis frequenter conspicua in epilepticis, apoplecticis, maniacis, & asthma convulsivo laborantibus, nec non valde iratis. Oriri videtur a citatiore vel anxiores aëris inspiratione, dum hac mediante subtiles elasticæ aëris particule intimius cum saliva miscentur, illamque continua agitatione in exiguas & copiosas bullas convertunt, non secus ac alios liquores limpidos paululum tamen viscosos v. g. albumen ovi, sola conquassatione in spumam abire cernimus. Interdum etiam spumascencia salivæ ab impetuosa spirituum animalium commotione induci potest, quatenus vehementior ejusmodi motus ipsi salivæ communicatur, sicut in pluribus convulsivis morbis fieri arbitramur.

C

§.XV.

Secundum naturam omnis manifesti saporis expers esse solet saliva: At in statu morboſo varios acquirit ſapores, quos inter primum ſe ſiſtit ſalfus, de quo phtifici, hectici, nec non atrophia & febribus catarrhaliſus correpti ſæpius conqueruntur. Quantum vero conſpicere licet, ejuſmodi ſalfedo ſalivæ ex diſſolutione ſeu turbata mixtione ſanguinis provenit. Verofimile enim eſt, ſanguinem, per ſe quidem dulcem ac temperatum liquorem, vitioſa & præternaturali inteſtina agitatione adeo reſolvi poſſe, ut non tantum in mucilaginem ferroſam, putridam, ſed & manifeſtam ſalfuginem convertatur. Malum igitur plerumque ſignum eſt ſaliva ſalfa, utpote quæ exitioſam ſanguinis corruptionem, mille morborum originem, portendit. Ceterum in quibuſdam ſubjectis acredo ſalivæ guſtu quidem non deprehenditur, ab effectu tamen haud difficulter poteſt cognoſci. Sic v. g. appetitus ciborum inſolitus & valde auctus, qui hypochondriacis quibuſdam, quartanariis & phtificis interdum ſolennis eſt, ſalfedinem & acorem ſalivæ ſatis aperte arguit. Quodſi vehementior talis appetentia contingat in morbis chronicis, de ipſorum diuturnitate admonet, ſin vero extra hos, plerumque catarrhos, vel coryzam, arthriditem, podagram &c. inſtare prænunciat. Quando enim homines appetitui ejuſmodi extraordinario indulgentes largiori & ſuperfluo victu ſeſe replent, non poſſunt non variæ cruditates morborumque fomites inde produci. Tacemus apthas dolorifica oris ulcuſcula, de acrimonia ſalivæ tanquam cauſa ſua teſtari. Illud ſaltim hic non poſſumus prætereire ſilentio, in nonnullis hypochondriaco-ſcorbuticis adeo acrem eſſe ſalivam ut ſi deglutiatur ſæpius intolerabilia ventris tormina excitet, quovis remediorum genere non ſtatim ſedan-

sedanda, quemadmodum *Steph. Blancard. tr. de Scorbuto cap. XI.* annotavit; talis quoque saliva ex ore rejecta non tantum vasa ænea sed & ipsa linteamina quandoq; arrodere deprehensa fuit.

§. XVI.

Dulcem nonnunquam saporem in saliva observari vix credibile videretur, nisi experientia crebrioribus exemplis id ipsum confirmaret: Etenim in M. A. N. C. plures referuntur historiæ illorum qui saccharinam & ad nauseam usque dulcem salivam in ore senserunt. At vero talem dulcedinem minus esse laudabilem eventus testatur; siquidem ubi diutius illa duraverit ut plurimum oris & linguæ exulceratio insigni cum dolore conjuncta supervenire solet. Molestum hoc symptoma infestat aliquando hypochondriacos & melancholicos, ita ut quæcunque potulenta & esculenta simili sapore imbuta ipsis videantur. Cæterum positivam (ut in scholis loquuntur) hanc esse dulcedinem salivæ, nemo facile sibi persuadere poterit, cum potius ab acrioribus, salivæ p. n. implicatis salibus, organon gustus hebetantibus & depravantibus orta videatur. Unde ex tali salivæ constitutione certo possumus colligere abundantiam salis acrioris in M. Snea, & hinc metuendam ad varios morbos dispositionem, quæ temperantibus, balsamicis ac diluentibus remediis averti debet.

§. XVII.

Amarum salivæ saporem non raro Ictericæ & hypochondriaci experiuntur, quem nos a pertinaci obstructione vel spasmio vehementiori vasorum biliariorum ut plurimum provenire putamus, dum hac ratione secretio bilis a sanguine sufflaminatur & sic particulæ bilis in sanguine restagnantes facile in salivam quoque trans-eunt. Interdum tamen sapor in ore amarus dependere

potest ab effluviis biliosis e ventriculo & intestino duodeno sursum elevatis. Utroque in casu conveniunt præcipitantia, nitrosa, rhabarbarina, quæ bilis acrimoniam contemperant, & viscerum, præsertim hepatis, obstructions tollunt.

§. XIIIX.

Evidenti odore, non secus ac sapore, saliva naturaliter in ore constituta caret. Quo si vero vasi polito metallico vel speculo illinatur, aut per aliquot dies, vasculo infusa, temperato aëri exponatur odorem peculiarem, non gratum, sed admodum gravem spirat. Quo citius autem & vehementius odor iste nauseosus sese manifestat, eo magis indicat sangvinem scaterere sordibus & excrementitiis particulis, putredinosam corruptionem facile inferentibus. Talismodi saliva ejusq; odor in morbis præsertim contagiosis & ipsa peste omni studio vitari debet: Probabile enim videtur, miasmata illa salino-sulphurea putrida, mediante saliva satis promte in corpus alterius derivari posse. Sed hæc jam pro instituto nostro sufficient, donec fusiohem hujus thematis pertractationem aliquando moliri & sistere valeamus.

CLARISSIMO BAIERO.

S. P. D. PRÆSES.

ET Tuo, quem novi, animo delector, ac studiis huc usq; perductis toto pectore gratulor. Tu generosa assiduitate, raro exemplo, brevi tempore id in curiosiori non minus quam solida scientiæ Naturalis ac Medicæ pertractatione impetrasti, quo alijs tam fœcundo ingenio non valentibus longa annorum serie pervenire arduum foret. Nolo jam pluribus præsens extollere specimen, quo enucleate ostendis quantum utilitatem in Praxi afferat, attenta salivalis laticis consideratio. Nulhum dubium est, quin apud peritiores plenissimum invenias consensum ac laudem. Porro Deus benedicat Tuis conatibus, & condignos virtutibus Tuis, Paternarum æmulis, Patronos largiatur, quo & rarissimam Beati Parentis famam tandem consequaris.